

Hermes
Trismegi-
stus,
*Cribra res
cribro suo
septies.*
Io. Dasti-
nus lib. 3.
*Riga spiri-
tus septies.*

litatio, & perfectio. Cum adhærentia sui vasis, id est, connaturalis, saluginosi, & in quo est virtus lapidifica. Illa nanque sublimatione, septies quidem, vel pluries iterata, argentum (quod natura sua auro est impurius, & imperfectius) auro quouis naturali, siue vulgari reddi potest multo perfectius. Nec intelligas hanc perfectionem, puritatemque sibi sola fusione accedere. Si enim illud summa diligentia sæpe ac sæpius igne examinaveris, propterea perfectius, synceriusve auro naturali non reddes, nisi sublimatione illa Chemica septies, vel pluries iterata, rite utaris. Ob id igitur verissima est illa similitudo, qua propheta ille David verba Dei vera, & sincera tali argento arte Chemica defæcato, ac præparato comparavit potius quam auro naturali siue vulgari. Quod quidem aurum quamuis purum, & perfectum inter omnia metalla existimetur, aliquas tamen fæces, licet paucas, heterogeneas in se continet. Alioqui enim propheta verba Dei sincera, potius auro, quam argento, comparasset.

PROSA, quæ ab ecclesia decantatur die D. Ioan. Evangelistæ facta, mente Decembri, auctore Adamo à sancto Viatore. Cuius initium est, Gratulemur ad festiium, &c.

Cum gemmarum partes fractas solidasset, has distractas tribuit pauperibus.

Inexhaustum fert thesaurum, qui de virgibus fecit aurum, gemmas de lapidibus.

Diuus enim Io. Evangelista ab Avicenna lib. De anima, dictione prima, ad finem cap. septimi, & à Vincentio, in Speculo naturali, inter Christianos qui artem Chemicam exercuerunt, enumeratur.

HERMES Ægyptius, quem Trismegistum vocant.

Verum, sine mendacio, certum, verissimum. Quod est superius, est sicut quod est inferius: & quod est inferius, est sicut quod est superius, ad perpetranda miracula rei vnius. Pater eius est sol: Mater eius est luna. Portavit illum Ventus in ventre suo. Nutrix eius est terra. Et vis eius est integra, si versa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi: Ideo fugiet à te omnis obscuritas, &c.

B. THO. Aquinas in 2. 2. q. 77. articulo 2.

Si autem per Alchemiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere. Quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales & ve-